

2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.



1696.

1. Beck, Johannes; Fac. med. pro cancellario l. s. 1.
(ad actum disputatorium Polycarpi Gottlieb Schacheri
iuristae)
2. Bohner, Johannes: De angina.
3. Pienel Dorff, Johann Gottfried: De potestate
statuum imperii protestantium circa
4. Liedert, Hermann: De abusu huius publicae datus
5. Aglier, Augustus: De conditione l. s. quis conduc.
hominis 25 C. de locato conducto.
6. Olearius, Johannes: De episcoporum primitivae
et modernae ecclesiae discrimine.
7. Olearius, Johannes Augustus: An Lutheri contra papam.
les, injustos utique eorum aggressores, cum papam
suum morte se deponere liceat?
8. Rechenberg, L. Adam: De prerogativa imperii
principis protestantis.

1696.

9. Siverij, Hieronymus : De nominibus, quae ab necessitate
sunt creata falso iudicantur

1697.

1. Bohm, Johannes, Fac. med. procurator Marius. Saluberrimum
(ad actum sollemnem Michaelis anni 1797) Immunitatis iustitiam

2. Bahuius, Johannes : De medici officio

3. Cullius, Ludovicus Christianus : De seglala Laconica

4. Diesselhoff, Johann Gottfried : De potestate statuum
imperii protestantium circa matrimonium subditorum

... et de jure sui suspendendi et resolvendi
in divitiam vitae consuetudinem

5. Langius, Gottfried : De aequivoce dictis

6. Menckenus, Luederus : De statutorum non confir-
matorum effectu

7. Menckenus, Luederus : De rebus ex tantibus uxorem
a concursu creditorum separandis

8. Menellius, Ludovicus. De prerogativa agnatorum
inter cognatis in successione tutela curae quae
allodium et feudum

9. Mylius, Andreas. De invenendis eorum institutis
actionibus.

10. Philippus, Biderianus. De agris vectigalibus.

11. Schieferdecker, Johann David. De triumphis et ora-
tionibus Romanorum.

12. Schmidtus, Johann. De potestate creditorum.

13. Surenherfferus, Barthol. Leonhardus. Annotationes
juris feudalis ad lucubrationses J. R. Surenherferi 2:
De auctoritate juris feudalis.

14. Surenherfferus, Barthol. Leonhardus. Annotationes
juris feudalis ad lucubrationses J. R. Surenherferi 15:
De divisionibus feudi quae feudum proprium.

15. Surenherfferus, Barthol. Leonhardus. De putatione
bonis utilis.

1697.

16. Brenten doerfferus, Barthol. Leonhardus: Annotationes
juris feudalis ad lucubraciones j. R. Exercitatio III:
De notatione et definitione feudi.

17. Brenten doerfferus, Barthol. Leonhardus: Annotationes
juris feudalis ad lucubraciones j. R. exercitatio V:
De divisionibus feudi quoad feudum in proprium

18. Brenten doerfferus, Barthol. Leonhardus: Annotationes
juris feudalis ad lucubraciones j. R. exercitatio VI:
De origine feudorum.

19. Wertherus, Joh. Baltheus: De actionum naturalium,
quae sunt juris naturalis objectum constituent, materiis
atque formis

20. Wertherus, Adamus Baltheus: De sponsalibus sub
conditione contractis

1718.

1697, 11

20

Q. D. B. V.

DE

TRIUMPHIS

ET

OVATIONIBUS

ROMANORUM,

Indultu benignissimo

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ,

In

ACADEMIA LIPSIENSI,

PRO LOCO

In Eadem suo tempore obtinendo,

ALTERA VICE

Ad d. 30. Junii, A. O. R. MDCXCVII.

H. L. Q. C.

PARTEM POSTERIOREM

placidæ Eruditorum Disquisitioni

submittit

M. JOHANN-DAVID Schieferdecker/

Weissenfelsensis.

LIPSIÆ,

Prælo CHRISTOPHORI FLEISCHERI.

H. B. B. B.



TRIVIALIS

OVATONIBUS
ROMANORUM

PROLOGO

PROLOGO

PROLOGO

PROLOGO

20





Mea In D E O Spes!



Abes hîc, L. B. *alteram* Dissertationis nostræ de TRIUMPHIS & OVATIONIBUS *Partem*, quæ non solum ulterius nonnulla, quæ priori parte recensuimus, prosequitur & explicat, sed & alia, quæ ad Triumphorum pompam spectare videbantur, adjicit adque illustrat. Ut autem omnia *ὡς ἐν συνόψει* & velut in tabula conspici licet, brevem Tibi sub finem materiæ universæ sistemus *σκιαγραφίαν*. Secundet & hâc vice cœpta feliciter summus rerum arbiter atque stator!

§. I.

Rerum Romanarum monumenta adcuratiùs paulò evolventibus atque ponderantibus, antequam ad alia abeamus, illud quoque adnotasse meretur, quod triumphantes aliquando & utriusque sexus liberos parvos currui triumphali imposuerint. Ita namque *APPIANUS* triumphum describens, *Lib. de Bell. Pun.* ait: *Ἐπιβαίνουσι δ' αὐτῶν ἐπὶ τὸ ἄρμα παῖδες τε καὶ παρθένοι, καὶ ἐπὶ τῶν παρθένων ἐκατέρωθεν ἡἰδεοὶ συγγενεῖς, vehuntur eodem curru pueri virginesque & in funalibus equis adolescentes consanguinei.* Sic *M. AURELIUS ANTONINUS PHILOSOPHUS* & *LUCIUS* frater ejus cum triumpharent, *liberos Marci utriusque sexus secum vexerunt; ita tamen, ut & puellas virgines veberent*, teste *JUL. CAPITOLINO*, in *M. Ant. Phil.*

20

Cap. XII. In cuius rei memoriam Numisma habetur, in quo Imperator in curru variis imaginibus exculpto, quique quatuor trahitur equis, cum fratre sedens, dextram lauri tenens, cernitur, vid. *JACOBI de STRADA Imag. Imp. pag. 70. sub M. Ant. Pbil. imagine.* Quamvis itaque *LIVIUS XLV. 40.* de P. ÆMILIO PAULO narret, currum ejus secutos fuisse duos filios, *Q. Maximum & P. Scipionem in adoptionem aliis datos; minorem verò eorum ferme duodecim annos natum, quinque diebus antè triumphum majorem, quatuordecim annorum, triduo post triumphum decessisse: quos prætectatos curru vebi cum patre, sibi ipsos similes prædestinantes triumphos, oportuerat; & VAL. MAX. V. 9.* asserat, alterum horum filiorum triumphum patris funere suo quartum ante diem præcessisse, adeoque alterum tantum in curru triumphali conspectum fuisse: *EUTROPIUS tamen lib. IV.* contrarium asserit, eumque in aureo curru triumphasse, recenset, cum duobus filiis, utroque latere adstantibus. Gemmæ insuper antiquissimæ pariter atque elegantissimæ ectypum, in qua currus triumphalis videtur, cui insident Augustus & Livia, illisque adstant Octavia & Marcellus, vel Julia atque Tiberius, exhibet *GISBERTUS CUPELLUS, in Apotheoseos Homeri Append. pag. 293.* Porro & de GERMANICO CÆSARE, cum de Cheruscis, Cattisque & Angrivariis triumpharet, refert *TACITUS Annal. II. 41.* auxisse intuentium visus eximiam ipsius speciem, currumque quinque liberis onustum. Confer Part. I. hujus Diff. §. VI. notatò simul VALERII AURELIANI Triumphò speciosissimò, quem describit fusiùs *FLAV. VOPISCUS in Div. Aurel. Cap. XXXII. seqq.* & ex eodem *JAC. de STRADA in Imag. Imp. ad Imag. Val. Aurel. pag. 153.*

§. II.

Aliud quoque Triumphi genus, præter ea, quæ *Part. I. §. II.*

§. II. VI. & VII. à nobis allata fuere in medium, sese sistit, quod *Castrensis Triumphus* audit. Satis quippè constat, quibus olim milites Imperatores suos Triumphaturos post paratas victorias non rarò profecuti sint laudibus, eosque in castris atque stativis cohonestarint. Etenim ignes triumphales passim in castris accendebantur, iisque arma hostium, currus nimirum, hastæ, lanceæ, & id genus alia, in honorem DEUM cremabantur. Exemplum nobis esto P. DECIUS, tribunus militum, suggerente *LIVIO, VII. 34.* A. CORNELIUS Consul exercitum aliquando incautè in saltum cava valle pervium, circaque infessum ab hoste induxerat, nec prius quam recipi tuto signa non poterant, imminemem capiti hostem viderat. Imminente hinc undique periculo P. DECIUS tribunus militum, accepto præsidio vasit occultus per saltum, editumque collem, hostium castris imminemem occupavit non solum, & spatium Consuli dedit ad subducendum agmen in æquiores locum, sed & per media hostium castra noctu salvus cum suis penetravit. Cumque, ubi paululum illuxerat, præmissò nunciò, ad Consulem in castra venisset, & *tesserà data, incolumes reverti, qui sua corpora pro salute omnium haud dubio periculo objecissent, pro se quisque obviam effusi laudant, gratulantur, singulos universosque servatores suos vocant: Diis laudes gratesque agunt, Decium in cœlum ferunt.* Hic Decii castrensis triumphus fuit, incedentis per media castra cum armato præsidio, conjectis in eum omnium oculis, & omni honore tribunum Consuli æquantibus. Ita rebus gestis, Consul, advocata concione, P. Decii non cœptas solum antè, sed & cumulatam novam virtute laudes peragit: & præter militaria alia dona, auream coronam eum, & centum bobus, eximioque uno albo opimo auratis cornibus donat. Milites, qui in præsidio simul fuerant, duplici frumento in perpetuum, in præsentia

singulis bobus, binisque privis tunicis donati. Secundum Consulis donationem, legiones gramineam coronam obsidionalem, clamore donum approbantes, Decio imponunt. Altera corona ejusdem honoris index à presidio suo imposita est. His decoratus insignibus, bovem eximium Marti immolavit, centum boves militibus dono dedit, qui secum in expeditione fuerant. Iisdem militibus legiones libras farris & sextarios vini contulerunt, omniaque ea ingenti alacritate per clamorem militarem, indicem omnium assensus, gerebantur. Vide hanc occasione laudes Deciorum, patris, filii & nepotis apud VAL. MAX. V. 6. & LIVIUM IIX. 10. X. 26. 28. quos omnes rebus fortiter gestis claruisse, exinde constat.

§. III.

26
Cremata diximus antè in castris simul arma partemque prædæ fuisse, antiquò Romanorum more, id quod vel è solo patescit LIVIO. Ita namque Ille IIX. 30. Magister equitum, ut ex tanta cade multis potitus spoliis, congesta in ingentem acervum hostilia arma subdito igne concremavit: seu votum id Deorum cuiquam fuit; seu credere libet Fabio auctori, eo factum, ne sua gloria fructum dictator caperet, nomenque ibi scriberet, aut spolia in triumpho ferret. Non uni autem DEO, ut puta Marti, sed cui vovere cuique placebat, res istiusmodi oblatae atque congestae accendebantur. Testis est IDEM, I. 37. spoliis hostium (votum id Vulcano erat) ingenti cumulo accensis, &c. X. 29. spolia hostium coniecta in acervum Jovi Victori cremavit, cui in prælio vovisse ea Cæsarem paulò antè dixerat. Alioqui vulgaribus tantum, quorum maximus numerus, tum fractis & laceris incensis, reliquis selectioribus instruebant non modò tropæa, si erigerentur, sed & triumphos, & deinde variis locis maximè conspicuis & sacris, tum in ornamentum

tum Urbium, tum ad victoriam cohonestandam, æternitatisque consecrandam figebant, sæpè etiam ad socios ac amicos in fidem victoriæ mittebant. De singulis hisce speciatiim paulò infra dispiciemus fusiis.

§. IV.

Hos Triumphus castrensis ritus fuisse olim, Historiarum evincunt monumenta. Ἀνάλογον huic & hodiernum extare certum est, utpote cum in castris ob partam in acie victoriam, aut urbem expugnatam, bombardæ inter strepitus tubarum & tympanorum personant. Quinimò speciem ejusmodi præ se ferre triumphus & illud videtur, quando capita hostium hastis palisque infixæ circumferuntur. Ita namque LIVIUS, XLII. 60. delineatâ Romanorum clade, de hoste victore refert, postquam in castra redierit, antè alios Thracum insolentem lætitiæ eminuisset: hi enim *cum cantu superfixa hastis capita hostium portantes redierunt*. Hic & Turcarum solitus quasi de hostibus triumphandi mos est, quod ipsum tot tantorumque heroum ac militum nostratum capitibus non paucis contigisse, res in apertis est. Conf. JAC. de STRADA *Imag. Imp. ad Imag. Constantini VII. pag. 332. seq.*

§. V.

Sed ad Spolia redeamus. Antiquissimi enim fuit moris, occisos in pugna hostes spoliare, & humi prostratis arma cum primis detrahere. Sic apud HESIODUM in *Asp.* v. 468. HERCULES & JOLAUS occiso Cygno ab humeris pulchra detrahebant arma, adeoque ipsum despoliabant. Et Pallas *Ibid.* v. 336. HERCULEM, cum Martem Cygni patrem vulnerasset, monebat, ut retrò se recipiat:

- - Ἐπεὶ δ' ὄντοί τοι ἄσιμόν ἐσιν
οὐδ' ἵππους ἐλέειν, ἔτε κλυτὰ τεύχεα τοῖο,
- - ἧμο-

quoriam, inquit, tibi non est fas
neque equos capere, neque incluta illius arma.

Indicabat hisce Pallas, non licere Herculi Martem, utpote
DEUM, interficere. Necem quippè semper sequebatur
spoliatio. Hinc & Pallas porrò v. 447. ad MARTEM, cui
item non licebat, Herculem, quippe Jovis filium, inter-
ficere, multò minùs interfecti circumferre spolia, ait:

Οὐ γάρ τοι θεμῖς ἐστὶν ἀπὸ κλυτὰ τεύχεα δῦσαι
Ἡρακλέα κτείναντα Διὸς θρασυκάρδιον υἱόν,
Neque enim tibi fas est incluta arma detrabere
Herculi occiso, Jovis magnanimo filio.

VAL. MAXIMUS item III. 1. de ÆMILIO LEPIDO,
qui puer etiamnum hostem interemit, civem servavit, post-
ea aliis verbis ait, eum coronam (civicam) mereri, & spolia
rapere, i. e. hostem interimere, valuisse.

§. VI.

Causa spoliorum detractionis præprimis ea fuisse vi-
detur, quod victores olim istis gloriabantur, ceu fortitu-
dinis atque victoriæ signis. Hinc non solum privatim sæpè
victores arma, quæ quisque de propriis hostibus obtinue-
rat, sibi aptabant, sed & publicè prostratis perduellibus,
in sempiternam rei fortiter gestæ memoriam diversis, sed
maximè celebribus in locis suspendebant ea. Inter alia
è Poëtarum omnibus constare scriptis scimus exemplum
HERCULIS, utpote qui, dicente APOLLODORO
ATHENIENS. Biblioth. II. 3. χειρωσάμενος τὸν λέοντα
τὴν μὲν δορὰν ἠμφιάσατο, τῷ χάσματι δὲ ἐχρήσατο κόρυ-
θι, subacti suis viribus leonis pellem sibi induit, & hujus bia-
tum galeæ loco habuit, aded ut in præcipuum ejus insigne
evaserit, & dextrâ ῥόπαλον clavam tenens, quàm αὐτὸς
ἔτεμεν ἐκ Νεμέας, ipse sibi in Nemæa sylva casam comparavit,
ut IDEM loc. cit. loquitur, in Nummis & picturis semper
con-

conspiciatur. Sic ALEXANDER, Pori, quem vicerat, &

jam ratus extinctum, spoliari nobile corpus imperat;

verba sunt GALTERI, in Hist. Alex. (cujus exemplar vetus Manuscriptum penes nos est,) IX. 3. Id ipsum & CURTIUS refert, IIX. 14. Rex, inquit, spoliari corpus Pori, interemtum esse credens, jubet: Et qui detraberent lorica[m] vestemque, concurrere. Etenim publice spoliis istis victoriam quoque celebrabant Imperatores. Unde ortum, ut in praeliis laudi maximè duceretur & gloria, servasse sua arma, etiam in morte. Propterea EPAMINONDAS in praelio ad Mantineam graviter vulneratus inque castra delatus, statim è suis quæsit, salvusne esset clypeus: turpissimum namque habebatur vivum arma in hostium reliquisse potestate, aut in fuga scutum, quod spoliis præcipuum aestimabatur, abjecisse. LACENÆ quoque MULIERES filiis in bellum exeuntibus clypeum tradere his verbis solebant: ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τὰς, operam adhibeant, ut vel vivi eam (ἀσπίδα nempè) referant, vel mortui in ea referantur, teste PLUTARCHO, in Apoph. Lacæn. IDEM refert, ejusdem civitatis mulierem filio aliquando dixisse: τὰν τὴν ὁ πατήρ σου ἀεὶ ἕσωζε, καὶ σὺ ἐν τὰν σῶζε, ἢ μὴ ἕσο, hanc pater tuus semper servavit, tu quoque eam serva, aut ne vive.

§. VII.

Miles ejusmodi, qui arma in bello amiserat apud Romanos, capite puniebatur. Ita namque L. 3. ff. de re Militari: Miles, qui in bello arma amisit, vel alienavit, capite punitur; humane (i. e. si mitius cum eo agatur) militiam mutat. Et L. 2. ff. de Captivis, &c. Non

B

idem

idem in armis juris est: quippè nec sine flagitio amittuntur. Arma enim postliminiò reverti negatur, quod turpiter amittantur. Indè cum SCÆVA CASSIUS C. Cæsaris miles fortissimus clarissimam in freti Britannici scopulo pugnam unus contra permultos hostium edidisset, tandemque vulneratus variis locis, relicto scuto, enataffet, tamen viso Imperatore, *armis non amisissis, sed benè impensis cum laudem mereretur, veniam petiit, magnus praelio, sed major disciplina militaris memoria,* verba sunt VAL. MAX. III. 2. Et hujusmodi exemplis pleni sunt Romanorum libri, plenæ memoriæ. Imò & apud majores nostros *scutum reliquisse præcipuum flagitium, nec aut sacris adesse, aut concilium inire ignominioso fas; multique superstites bellorum, infamiam laqueo snierunt,* referente TACITO, lib. de morib. Germ. VI. 9. Causa hujus rei præcipua vel indè satis constat, quod, qui fugiunt *arma fœdè jactantes,* ut ait LIVIUS I. 27. illi ea re præprimis augeant, quantum in se est, victorum gloriam, qui his armis & spoliis, ad ostentandam victoriæ magnitudinem utuntur. Obtinet & illud apud nostrates hodiernum, prout cuivis satis cognitum credimus.

§. IIX.

Erat olim, teste CICERONE de Invent. II. 23. usus Græcis, cum inter se bellum gesissent, ut victores tropæum aliquod erigerent, non ut in perpetuum belli memoria maneret, sed tantum victoriæ in præsentia declarandæ causa. Mos deindè & apud Romanos inolevit, ut in ipso pugnae loco statuerent tropæa, eaque spoliis hostium exornarent. VIRGILIUS sub init. XI. Æneid. de ÆNEA, interfectò Mezentio tropæum erigente, ait:

Ingen-

*Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti Ducis exuvias, tibi magne trophaum
Bellipotens aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri.*

Et paulò post sub ipsius Æneæ persona:

*- hæc sunt spolia & de Rege superbo
Primitia, manibusque meis Mezentius hic est.*

Diximus §. V. Part. I. gentium victarum arma, pharetras, frena, enses, galeas, scuta, thoraces, gladios, signa, pecuniam, vasaque aurea & argentea, partim curru, partim humeris imposita servorum, ferri solita ante Triumphantem. Unde in triumpho C. FLAMINIUS Consulis, Gallica spolia tanto numero sunt translata ante oculos civium, ut postea bello Punico sex milia hominum iis fuerint armata, *LIV. XXIII. 14.* In L. PAULI item triumpho de Macedonia & Rege Persa, pulcherrima & pretiosissima Macedonicorum armorum multis curribus in pompam triumphi mittebantur, ut ait *PLUTARCHUS, in Æmil.* qui & ea vehicula *ὀπλοφόρας αἰμάζας* vocat. Lectissima autem tantum & pulcherrima triumpho seligebant, quod *spolia legere* propriè dicebatur, hoste devictò.

§. IX.

Spolia autem, de quibus jam modò dictum, peractò triumphò (quamvis id etiam, licet non triumpharetur, fieret,) in perpetuam victoriæ suspendebantur memoriam, idque certò quòdam locò. Recenset *DIONYS. HALICARN. IIX. 3.* cum MARCI CORIOLANI ductu VOLSCI Romanos vicissent, eosdem *dicatis spoliis templa & fora ornasse, ipsumque legisse spolia, que Diis dicaturus, & quibus Volscorum oppida*

B 2

orna-

ornaturus erat. Sic LIVIUS IV. 20. de A. CORN. COSSO, tribuno militum, occisō Tolumniō Vejentium Rege, omnibus, ait, locis re bene gesta, dictator senatusconsulto jusque populi triumphans in urbem rediit. Longè maximum triumphi spectaculum fuit, Cossus spolia opima regis interfecti gerens. In eum milites carmina incondita, æquantes cum Romulo, canere. Spolia in æde Jovis Feretrii, propè Romuli spolia, quæ prima Opima appellata, sola ea tempestate erant, cum solenni dedicatione dono fixit. Averteratque in se à curru dictatoris civium ora, & celebritatis ejus diei fructum propè solus tulerat. Omnes ante me auctores secutus, A. Cornelium Cossum tribunum militum, secunda spolia Jovis Feretrii templo intulisse, exposui. IDEM X. 46. de PAPIRIO: venienti Romam, omnium consensu triumphus est delatus. Triumphavit in magistratu, insigni, ut illorum temporum habitus erat, triumpho. Pedites equitesque insignes donis transiere & transvecti sunt: multa civica corona vallaesque ac muralles conspectæ. Inspectata spolia Samnitium: & decore ac pulchritudine paternis spoliis, quæ nota frequenti publicorum ornatu locorum erant, comparabantur. Nobiles aliquot captivi, clari suis patrumque factis, ducti: Æris gravis transvecta vicies centies millies & quingenta triginta tria millia: id æs redactum ex captivis dicebatur. Argenti, quod captum ex urbibus erat P. M. CCCXXX. Omne æs argentumque in ararium conditum. Militibus nihil datum, ex præda est. Auctaque ea invidia est ad plebem, quod tributum etiam in stipendium militum collatum est: quum, si sprete gloria fuisset captivæ pecuniæ in ararium illata, & militi tum dari ex præda, & stipendium militare præstari potuisset. Eadem Quirini, quam in ipsa dimicatione vocatam apud neminem veterem auctorem invenio (neque hercule

cule tam exiguo tempore perficere potuisset) ab dictatore patre votam filius consul dedicavit exornavitque hostium spoliis, quorum tanta multitudo fuit, ut non templum tantum forumque his ornaretur, sed sociis etiam colonisque finitimis ad templorum locorumque publicorum ornatum dividerentur.

§. X.

Ad socios itaque missa quoque spolia, & ab iis item in templis fixa, vidimus, id quod porro confirmatur è *LIV. XXIV. 21.* ubi de seditione Syracusanorum agens, *inermes*, inquit, ex Olympii Jovis templo spolia Gallorum Illyriorumque dono data Hieroni à Populo Romano fixaque ab eo detrahunt, precantes Jovem, ut volens propitiusque præbeat sacra arma pro patria, pro DEUM delubris, pro libertate sese armantibus. Constat hinc spolia hostium Diis sacrata, ut in templis manerent, fuisse, nec licuisse iis iterum in bello uti, nisi summâ urgente necessitate, quæ etiam Romanos subegit post Cannensem cladem, ita ut, dicente *VAL. MAX. VII. 6.* spolia hostium affixa templis, Deorum numini consecrata, instrumenta militia futura, convellerentur. Cæterum res sacræ omnes in templis lacerae aut antiquitate corruptæ non modo integritati suæ restituebantur, sed & planè inutiles vetustate factæ tamen adhuc servabantur, & in favissis in Capitolio, quæ cellis erant similes, reponebantur, vide *FEST. Lex. voc. Favissa*; præter hostium spolia, quæ, licet tractu temporis consumpta essent, renovare non licebat, *PLUTARCH. Quæst. cap. 37.* Ne scilicet hostes postea amici Romanorum facti, aut in eorum ditionem redacti, suæ cladis & ignaviæ signa cernerent, & quò tandem pristinae inimicitia ac belli recordatio aboleretur.

§. XI.

Ejusmodi itaque ex pralio spolia retulisse magni apud Romanos semper æstimabatur, quæ & propriè *opima* dici consueverant. Cur hoc dicantur nomine, varii variè sentiunt. *PLUTARCHUS* ita appellari autumat à τῷ *opus*, quoniam eorum consecratio detur ei, qui ipse tam eximium fortitudinis edidisset exemplum, αὐτῆς τῆς ἀριστείας. Nos cum *VARRONE* aliisque spolia *opima* vocari censemus ab *ope*, περιποίησιν notante, ita ut *opima spolia* propriè sint locupletia, opulenta, pretiosa, ampla, magnifica. Atque illa non rarò & κατ' ἐξοχήν *Opima* audiunt. Hinc *SENECA*, *Herc. fur.* v. 47.

*Effregit ecce limen inferni Jovis,
Et opima victi regis ad superos refert.*

Inter *opima* referri spolia & illa merentur, quæ *FLAVIUS VESPASIANUS* devictis Judæis in triumpho exhibuit, id quod constat è *JOSEPHO*, referente ex eodem fusiùs *JAC. de STRADA*, in *Imag. Imp. ad Imag. Flav. Vesp. pag. 48. seqq.* Item quæ à Persis retulit *ALEXANDER SEVERUS*, qui triumpho pulcherrimò actò, apud Senatum ita potissimùm locutus: *Persas, Patres Conscripti, vicimus. Longa eloquentia opus non est. Centum & viginti millia equitum fudimus: cataphractarios, quos illi clibanarios vocant, decem millia in bello interemimus: eorum armis nostros armavimus. Multos Persarum cepimus, eosdemque vendidimus. Eloquentia opus non est: milites divites redeunt: laborem in victoria nemo sentit. Vestrum est supplicationem decernere, ne Diis videamur ingrati. Acclamavit tunc Senatus: Alexander Auguste, Dii te servant. Persice maxime, Dii te servant. Verè Persicus, verè Particus. Trophæa tua & nos videmus,*

mus, victorias & nos videmus, &c. Dives Senatus, dives miles, dives populus Romanus. Vid. ÆLII LAMPRI-
DII Alex. Severus, LV. seqq. Porro ingentia quoque
spolia reportavit MAXIMINUS THRAX à Germanis,
ita ut ipse ad Senatum dixerit: tantum prædæ in Roma-
num solum attuli, quantum sperari non potuit, autor est
JUL. CAPITOLIN. Maxim. XIII. Non abs re quoque
fore existimavimus, ALEXANDRI à Persis relatorum
spoliorum & prædæ descriptionem addere, quæ habe-
tur apud GALTERUM in Hist. Alex. lib. III. 2. scimus
quippe librum istum non in cujusvis manibus versari.
Transcribemus itaque è Manuscripto nostro verba ista
bonâ fide:

Jam satur ad loculum redit ensis; & ipse Pelasgos
Victores victor à cade recedere cogens,
Ad gazas properare jubet raptandaque prædæ
Munera, quæ saltus jacent interclusa latebris.
It celer, & partas partitur civibus æquè
Victor opes. Onerantur equi: gemit axis avarus.
Jam satur est, aurumque vomit summo tenus ore
Sacculus, & nexus refugit, spernitque ligari.
Fessa ligando manus non est satiata legendo:
Quin caligæ patulique sinus turgere docentur.
Itur in imbelles agmen muliebre catervas,
Quarum marmoreo rapuere monilia collo;
Extorquent torques, & inaures perdidit auris.

Hactenus Galterus. Revertamur jam ad Romanorum
spolia.

§. XII.

DEUS, cui sacrabantur spolia, Jupiter Feretrius
vocabatur, non sanè eâ ratione, quam adfert PROPER-
TIUS IV. II.

Can-

Causa Feretri,

Omne quod certo Dux ferit ense Ducem.

Nec quod fulmine feriat Jupiter, ut nonnulli autumant; sed à ferendo, vel propius à feretro id accepisse Jovem nominis constat, quoniam ei ferebatur, ac in ejus templo deponebatur illud spoliorum feretrum seu ferculum, ut vocat LIVIUS, I. 10. Spolia inquit, Ducis suspensa fabricato ad id aptè ferculo gerens in Capitolium ascendit, ibique cum deposuisset ad quercum, simul designavit templo Jovis fines, cognomenque addidit DEO: JUPITER FERETRI, inquit, HÆC TIBI VICTOR ROMULUS REX REGIA ARMA FERO, TEMPLUMQUE IIS REGIONIBUS, QVAS MODO ANIMO METATUS SUM, DEDICO, SEDEM OPTIMIS SPOLIIS, QVÆ REGIBUS DUCIBUSQUE HOSTIUM CÆSIS, ME AUCTOREM SEQUENTES, POSTERI FERENT. Hæc templi est origo, quod primum omnium Romæ sacratum est. Ita deinde Diis visum, nec irritam conditoris templi vocem esse, qualaturos eo spolia posteros nuncupavit: nec multitudine compotum, ejus doni vulgari laudem. Quamvis autem PROPERTIUS, ut è suprâ citatis patet, aliam afferat hujus nominis Etymologiam, tamen eandem quoque cum ea, quam LIVIUS tradit, subnectit, aitque:

*Seu quia victa suis humeris hæc arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Jovis.*

§. XIII.

Trina autem tantum ejusmodi spolia huic allata DEO feruntur, ex mente cum primis LIVII, qui loc. jam cit. addit: bina postea inter tot annos, tot bella, optima parta sunt spolia. Adeo rara ejus fortuna decoris fuit. Prima à Romulo, de Acrone Caninensium Rege, ut §. præc.

§. *præc.* dictum ; *secunda* ab A. Corn. Cossio de Tolumnio Vejentium , *vid.* §. *IX.* *tertia* à M. Claudio Marcello de Viridomaro Gallorum , *LIV. Epit. XX.* Cujus postremæ spoliorum in Capitolium translationis testimonium affert *SIGONIUS*, *Not. ad h. l. Livii*, aitque, in lapidibus Capitolii Inscriptionem extare hujusmodi :

M. CLAUDIUS. M. F. N. MARCELLUS. COS.
DE. GALLEIS. INSUBRIBUS. ET. GERMAN.
ISQVE. SPOLIA. OPIMA. RETULIT.
DUCE. HOSTIUM. VIRDUMARO.
AD. CLASTIDIUM. INTERFECTO.

Post hos itaque nemo alius tam honora & magnifica ex hoste retulit spolia, quo major est illorum gloria. Conf. h. l. *LAVR. BEYERLINCK*, *Magn. Theatr. Vit. Hum. Tom. VII. fol. 319. seqq.*

§. XIV.

Hæc de spoliis in medium adferre operæ pretium duximus, utpote quæ vel maximè ad pompam triumphalem spectare videbantur. Dispiciamus jam & circa *supplicationes* nonnihil, quarum mentionem passim *P. I.* fecimus, *an scilicet semper easdem infecutus fuerit triumphus?*

§. XV.

Negativam meritò, quam multi tuentur, & nostram facimus. Supplicatio namque de variis decernebatur rebus, de quibus non triumphabatur: veluti *CICERONI*, cum conjurationem Catilinariam detexisset; *P. SCIPIONI*, cum in Africam adversus Carthaginenses trajecisset; & ejus fratri *L. SCIPIONI*, cum in Asiam cum exercitu feliciter transiisset: quin imò rarissimè cuiquam ob Rempublicam contra hostes prosperè gestam postulanti negabatur. Postremis tamen Reipublicæ tem-

C

pori-

poribus, cum vix amplius petentibus triumphus non concederetur, supplicationes fuisse quasi quandam *prærogativam triumphi*, ut ait *CATO*, hoc est eos, quibus supplicationes decretæ fuerant, certiore habuisse triumphi spem. Sed hoc ipsum primis Reipubl. temporibus, ut antè dictum, haud obtinuit. Vid. §. XII. Part. I. *hujus Dissertationis*.

§. XVI.

Addidissimus jam, quod *Part. I.* promisimus, omnes à Romuli temporibus usque ad D. Justiniani triumphos; verum cum nimis prolixum fore partim, partim eisdem à *JACOBO LAVRO, ROMANO, in Antiq. Urb. Splendore* ordine jam enumeratos deprehendimus, supersedere istò labore volumus. Hæc in præsentem attulisse in medium sufficiat. Plura qui volet adeat *JOH. NICOLAI lib. de Triumpho Rom. sollemnissimo, qui superiori anno Francof. ad Mœnum* prodiit. Antequam verò colophonem & huic Dissertationis Parti imponamus, non ingratum L. B. facere speramus, si *ALEXANDRI* introitum in Babylonem, à Mazæo deditam, gloriosissimum, de quo *CVRTIVS V. 1.* memorat, utpote qui speciem triumphi præ se ferre videbatur, ex descriptione *GALTERI sup. cit. Lib. V. 4. 5.* huc transcribamus. Ita namque fatur:

*Maturant animo Medorum visere fines,
Nec mora: distribuens celebres apud Arbela gazas,
Munificus Macedo, tantis ardentem onustò
Rebus, Et inventa satiatò milite præda,
Transcurrit Syriam, pluviòque citatior Austrò,
Vi vel amicitia superatis civibus, ardet
Obsita coctilibus intrare palatia muris,
In signemque olim tot regum laudibus urbem,*

Cui

Cui dedit æternum labii confusio nomen,
Cumque Semiramia tantum distarent ab urbe,
Quantum Secanicis distat Dyonisius undis;
Ecce vir illustris stipatus prole beata
Impiger occurrit Mazæus transfuga Regi,
Imperio magni sese Babylonaque dedens:
Quem Rex complexus avidè vultuque benigno
Suscipiens, tacitis suppressit gaudia votis.
Quippe laboris erat magni longique paratus,
Tot populis & tot munitam turribus urbem
Obsidione capi, nisi machina munere Divum
Coctile cæmentum crebro dissolveret ictu;
Virque manu promptus & non inglorius illà,
Præcedenti acie totiens expertus in armis,
Exemplò poterat alios ad fœdera pacis
Invitare suò. Tunc verò cohortibus aptè
Dispositis, iussisque sequi, & retrocedere Persis,
Agmine quadrato stupefacta illabitur urbi
Splendet in occurso tanti Babylonia Regis,
Et quas congescit veterum solertia Regum
Exponuntur opes. Ardent altaria gemmis,
Porticibusque sacris statua reteguntur avita:
Per fora, per vicos, per compita, serica ridet
Vestis, & aurivomis ignescunt fana coronis,
Matronasque graves annis, civesque severos
Tegmina celatis urunt bombycina monstris:
Servus & ancilla iussi lucescere luxu
Barbarico, insolitos nequeunt sufferre paratus,
Immemoresque sui dum contemplantur amictus,
Jam se præsumunt servos non esse fateri:
Hosque quibus deerat fallax opulentia iussit
Inter honoratos fulgere precaria vestis.

C 2

Jam

Jam totum victoris iter lascivia florum
Texerat, & ramis viduata virentibus arbor;
Quocumque ingreditur, certant thymiamata thuri,
Divinique Arabum pascuntur odoribus ignes,
Et matutino satiantur aromate nares;
Effera praefertur claustro indignata teneri
Tigris, & obstrusi ferrato carcere pardi:
Inclusi caueis frendent immanè Leones,
Et quaecumque tenet Hyrcanos bestia saltus.
Et ne praepediat oculos objecta sequentum
Turba frequens, gradibus evecti ad culmina turris
Quamplures, avidique suum cognoscere Regem
Edita murorum longa statione coronant.
Occurrunt lyricis modulantes cantibus odas
Cum citharis mimi: concordant tympana fistlis.
Cymbala Psalterio cedunt; nec defuit aures
Blandius humanas docilis sopire viella,
Et quos Niliaca tradunt mendacia gentis
Fatidicos, caelique notis praenosse peritos
Sidereos motus & inevitabile fatum,
Mensita vates, currum victoris adorant.
Nunquam tam celebri jaetatrix Roma triumpho
Victorem mirata suum, tam divite luxu
Excepit, seu cum fusò sub Leucade Caesar
Antonio, sexti mutavit nomina Mensis,
Lactandisque dedit hydris Cleopatra mamillas:
Seu post Emathias acies cum sanguine Magni
Jam satur irrupit Tarpejam Julius artem.
Et meritò. Nam si Regum miranda recordans
Laudibus & titulis cures attollere justis,
Si fide recolas quam raro milite contra
Victores mundi tenero sub flore juventa

Quas-

*Quanta sit aggressus Macedo, quam tempore parvo
 Totus Alexandri genibus se fuderit orbis;
 Tota Ducum series, vel quos Hispana Poësis
 Grandiloquo modulata stylo, vel Claudius altis
 Versibus insignit, respectu Principis hujus,
 Plebs erit: ut pigeat tanto splendore Lucanum
 Casareum cecinisse melos, Romæque ruinam,
 Et Macedum claris succumbet Honorius armis.*

Hæc sunt itaque, L. B., quæ communicarentur Tibi su-
 mus rati, quare æqui bonique consulas omnia enixè ro-
 gamus. *DEO soli sit Laus, Honor & gloria in seculorum
 myriades!*

ΕΠΙΣΚΙΑΣΜΟΣ
 DUABUS HISCE DISSERTATIONIS
 PARTIBUS CONTEN-
 TORUM.

PARTE I.

Triumphus Etymologia, §. 1. Ejus Definitio, §. 2. Ova-
 tionis Definitio, §. 3. Premia ante triumphum militi-
 bus dari solita, §. 4. Preces & ritus triumphantium, ipsa-
 que triumphus pompa, §. 5. Insolita nonnulla circa aliquo-
 rum triumphos observata, §. 6. Divisio triumphus, Auctor
 triumphus, §. 7. An sine publica auctoritate triumphatum?
 §. 8. Cause denegati triumphus, §. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Quæ
 tamen quandoque non ita observata, §. 16. Recensentur
 qui à Romanis ducti olim in triumphum fuere, §. 17. &
 clauditur.

C 3

PAR-

PARTE II.

Triumphantes *liberos secum in curru solebant vehere*, §. 1. *Triumphus. Castrensis* describitur, §. 2. *Creмата arma hostium in castris*, §. 3. *Ἀνάλογον* huic triumpho *apud nostrates*, imò *apud Thraces olim, & hodiernum apud Turcas* observatur, §. 4. *Spolia victores hostibus solebant detrahere*, §. 5. *Spolia hostium rapere* signum fortitudinis, *arma verò amittere* turpè erat, §. 6. 7. *Tropæa* erigebantur, §. 8. *Spolia*, quæ triumphanti præferebantur, peractò triumpho *in templis locisque publicis suspendebantur*, §. 9. In quem finem & *sociis mittebantur*, *quæ postea obsoleta & inutilia facta renovare non licebat*, §. 10. *Opima* cur dicta, §. 11. *Jupiter feretrius*, cui sacrata spolia, unde dictus, §. 12. *Trina tantum eidem allata spolia opima*, §. 13. An *supplicationes* semper insecutus fuerit triumphus, §. 14. 15. Adicitur solennissimus *Alexandri M. introitus in Babylonem à Galtero* descriptus, §. 16. & clauditur.

SUPERPONDIORUM DECAS.

I.

Oracula Sibyllina, quæ hodiernum habentur, supposititia sunt. *Vid. Diss. nostram de Sibyllis earumque Oraculis, Leucopetræ, 1690. habitam.*

II.

Mosille, quando opifices otiantur,

tur Die Lunæ, id quod einen guten
Montag machen vocare solent, vide-
tur natus à Judæis, occasione *Gen.*
I. ubi omnes dies creationis adpro-
bantur hâc ferè formulâ: *vidit De-*
us id esse bonum, exceptò Die secun-
dò, h. e. Lunæ. *Vid. Zennorenâ.*

III.

Lingva Hebraica ista Methodò,
quam tradidit *Olivarius Bulæus*
Vinsobrius, neglectis nimirum pla-
nè vocalibus, adcuratè addisci nul-
lo modo potest.

IV.

Æquipollentia Enunciationum
Logicarum nihil est aliud quam lu-
sus vocabulorum.

V.

In Deo neque datur compositio
Phyfica, neque Logica.

VI.

Frustra tempus tereret, qui exi-
sten.

stentiam ipsius temporis probare
meditaretur.

VII.

Voluntas quidem potest cogi in
actibus imperatis, non tamen in e-
licitis.

VIII.

Malè nonnulli statuunt, artem Ty-
pographicam Argentorati inven-
tam esse, cum Moguntii primùm
excogitatam probent inter alios
POLYD. VERGIL. de Rer. invent. L. II. Cap. 7.
L. BEYERLINCK, Magn. Theatr. Vit. Hum.
T. VII. fol. 739. HOTTING. Hist. Eccl. Sæc. XV.
p. 44. seqq. Conf. & FR. SPANHEMIUS, Intr.
ad Hist. Sacr. utr. Testam. Sæc. XV. p. 531.

IX.


Ens Rationis contradictionem
involvit.

X.


Pessimè faciunt, qui Logicam
extirpandam penitus censent.

• • •









ULB Halle
005 309 069

3




SB

V877







B.I.G.

Farbkarte #13

1697, 11

20

B. V.

PHIS

ONIBUS

ORUM,

ignissimo

atis Philosophicæ,

LIPSIENSI,

LOCO

ore obtinendo,

VICE

R. M DC XCVII.

Q. C.

STERIOREM

m Disquisitioni

tit.

VID Schieferdecker/

ellensis.

IÆ,

DRI FLEISCHERI.

H. Bormius

